



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia XIV. Magdalenae lacryma gemma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

ELEGIA XIV.

MAGDALENÆ *lacryma gemma.*

MAGDALIS vt glacies Phœbeo saucia telo
 Liquitur, & vernâ plus niue delacrymat;
 Vrit Amor, liquidos qui cor distillat in imbres:
 Mille pudor guttas, mille decenter habet.
 Si potis influere hos oculos Tagus aurifer, aurum
 Efflueret fului purius amne Tagi.
 Si sudo hic vitreas ros spargeret aëre stillas,
 Nobilior baccâ diuite gemma foret.
 Huc si læta suos pluerent fors lilia rores,
 Iste liquor niueas illacrymaret aquas.
 Et quod non afflat lacrymis decus auctor IESVS,
 Aurato radio cor vbi flammatur Amor?
 Purius his nihil est, nihil est his pulchrius vndis,
 Quis rorat Dominos Magdala casta pedes.
 O felix animi! cui dos tam rara salutis
 Manat, & it liquidis limpida gemma genis.
 Qualis honos nitidi pulchrâ in ferrugine rores,
 Quos picto illacrymat Iris odora solo:
 Gratia quæ violis, immortalique amarantio,
 Aut illibatis alba per arua rosis:
 Tale decus puris appingit gratia lymphis,
 Quas castus roseo lustrat in igne pudor.
 Et tu terra bi bis pignus tam nobile Diuûm?
 Occidet informi gemmea gutta solo?
 Quid pote nobilior, quâ ros qui gemmat Amori?
 Et tener hic fusco puluere serpit onyx.
 Dic meliore viâ tam splendidus effluat humor:
 Pulcher honos pulchrum quarit honoris iter.

Sed sapit; en niueas irrorat lacryma plantas.
 Sic pia gemma suum dotat & ornat ebur.
 Nescio ad istud ebur num plus orneris, an ornes,
 Cui nouus argenteo de pede creuit honos?

E L E G I A X V.

MAGDALENA CHRISTI *sitit*
lacrymis explet.

NIL æquè ardet amans Deus, ac mera pocula
 luctus,
 Dulce sitibundus cor cui torret Amor:
 Idque epulas inter, festique theatra Lyæi,
 Magdala quid cessas? applue pocula Deo.
 Lumina vtrinq; tument biuios meditantia riuos,
 Riuos queis Hyalo purior vnda fluit.
 Crystallo liquente Dei caput omne coronas,
 Et satias lymphâ lene-fluente pedes.
 Par liquor in riguum pectus descendit I E S V;
 Ora madent, gremij vallis eburna natat.
 Anne putas, sitit vsque meras queis affluis vndas?
 Fors satur est lymphis C H R I S T V S, vt antè
 mero.
 Despuit ille grauis; fastidia cruda Lyæi,
 Et satur ille mero pascet ab anne sitim?
 Num liquor hic tanti est? sal vt lacrymabile
 luctus
 Plus omni sapiat nectare, vite, fauo?
 Hic quod agat, nihil est, succo dolor asper amaro:
 Nil ad pocula facit lacryma nata queri.
 Inuitat tamen illa, trahitque, tenetq; Tonantem;
 Suauior ô mannâ, nectare, melle, mero!

Si